



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 13. Occasio Guairaniæ depopulationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

Vista picta.

stulantes, ut sibi incolumibus ire & redire per summa pericula liceat. Sunt qui Virginæ statux pedem quo jam ob nimiam (si Superis placet) latronum pietatem caret, scalpunt, pulvisculum ex abrasione ceu amuletum asportantes: quasi verò Cœlorum Regina perfidos sospitari, & latrocinia adjuvare amaret: & quod bilem moveat, mortalium pessimi latrocinia sua expeditiones Apostolicas appellant, eo sine Barbaros è latebris à se erui dicitantes, ut ad humanitatem legemque Christianam adducant. Possem, si vellem (nam monumenta è Brasilia allata apud me sunt) qui, quando, quibus artibus, & quâ crudelitate, multas regiones depopulati fuerint, explanatius referre: possem latronum capita, populos ab ipsis deletos, diminutosve, nominatim appellare. Sed brevius absolvam, si dixerò, quidquid ab fluvio Maranione usque ad trigesimum latitudinis Australis gradum continentis est, continuis eorum excursionibus, factis ubique depopulationibus, patuisse. Restabat Guairaniæ pars, necnon regiones aliæ, JESU Sociorum Paraquariensium laboribus claræ, quas quomodò aut penitus vastarint, aut labefactarint, narratione in multis annos producendâ, scribere aggredior. Unum tamen monuerim, hæc me de Mamalucorum origine & moribus, eorumque affectis præmonere voluisse, ne quis, quod turpissimâ prosapia proprium est, Lusitanorum nationi, de re Christiana bene meritæ, imprudens adscribat.

*Devastatio-
ner.*

CAPUT
XIII.
Occasio
Guairaniæ
depopula-
tionis.

*Mamalucorum
copia.**Ludovicus
Céspedes re-
missè agit.*

LUDOVICUS Céspedes, vir sanguine clarus, anno superiori ex Hispania in Brasiliam appulerat, in Paraquariam, cujus præturam ab Rege Catholico impetrarat, trajecturus. Duo è Brasilia in Paraquariam itinera sunt. Unum terrâ, alterum mari. Illud, quo terrâ itur, ne quid molestiæ Indis inferatur, regiis legibus clausum est. Placuit tamen novo Prætori iter terrestre, ex indulto, ut aiebat, Regis arripere. Piratiningam itaque profectus eo tempore viæ se dedit, quo nongenti omninò Mamaluci, & bis mille & ducenti Tupici (sunt hi Indi Mamalucorum amici ferocitate insignes) in Guairaniam ad faciendam depopulationem se adornabant. Dux ordinum, dictus Antonius Raposus; præerat cohortibus aliis Indorum abactionibus infames. Malâ igitur tempestitate Prætor Piratiningâ exiens, per aliquot dies terrestri itinere progressus, reliquam deinde viam in Guairaniam fluvio confecit. Laureti admittente Antonio Ruifio magnificè exceptus, pro honore acerba dicta rependit: habitoque de præcavendis Mamalucis consilio, nihil satis firmi constituit. Et quamvis non potuit non laudare Sociorum labores, nusquam adduci potuit, ut contra prædones auxilia prævideret, imparere se eorum viribus restatus: sed constat remissè aliquando eo in negotio se gessisse, idèoque ab Senatu Regio interjecto tempore eum multatum fuisse. Interea temporis, Mamalucorum cohortes Ethnicorum terras non longè procul ab Neophytorum nostrorum oppidis depopulabantur: nihil quidem in Neophytos ab Societate reductos intentantes: sed Socii non imprudenter suspicabantur, sub cinere doloso latere hostilem ignem, qui mox magnum excitabit incendium: nam nulli non obvium erat, occasionem invasionis ab prædonibus quarti.

CAPUT
XIV.
Mamaluci
oppidum
Divi Antonii
depopu-
lantur.

*Occasio præ-
xima depo-
pulationis.**Petrus Mola
infantes ba-
ptizat.*

TANTI incendii occasio Taurana Casiquius fuit: innocenter tamen. Is pridem Simoni Alvaro Mamaluco præda cesserat. Sed deinde, eluso injusto Domino, in pristinam libertatem cum suis se asserens, ad Sancti Antonii fugâ contenderat: quâ re cognitâ Simon Alvarus, unius Mamalucorum cohortis ductor, ab Petro Mola Antonianæ colonie directore, Tauranam reposcit: qui cum respondisset, Tauranam naturâ liberum esse, nec sibi lubitum contra naturæ leges eum denuò vinculis induere, qui se jure & feliciter illis expedierat, irritavit latronem, qui statim communicato cum Antonio Raposo Mamalucorum duce consilio, totius Sancti Antonii colonie perniciem in vindictam machinans, cohortem suam arma expedire jubet. Contrâ, Petrus Mola, invasionis certus, aut metuens, quotquot erant in oppido infantes Baptismo expiat: quo in opere quamvis verba merè tantum necessaria ad confessionem Sacramenti profertur, septem omninò horas ob numeri magnitudinem posuit; tantâ defatigatione brachiorum, ut fulcro sustentari ei de-

buerint.